



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus  
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res  
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &  
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

**Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>**

**Wirceburgi, 1743**

Gotswinus Abbas XIX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

eo fuit, ut pristinum Monasterio & Ecclesiæ splendorem redderet: Eum in finem templum, quod ruinam minabatur, reparavit, Sacellum etiam D. Joannis honoribus supra Monasterii valvas exstruxit, ratus nihil ad officii sui partes ita pertinere, quam ædes Deo sacras vel à ruina vindicare, vel magis magisque exornare. Ad laudabile hoc studium instaurandæ Ecclesiæ accedebat grata quædam erga conditorum Benefactorumque nostrorum cineres pietas, & pia gratitudo, quæ Sigehardi animum eò induxit, ut in medio templi Sarcophagum lapideum excitari curaret, qui Meingaudi Comitis Fundatoris primi, & Ymæ Conjugis, Erlungi Episcopi Herbipolensis, Eggeberti & Burckardi Abbatum ossa custodiret; ad quorum societatem, ut piè confidimus, & ipse in Cœlesti Patria pervenit anno 1165. piè defunctus.

### GOTSWINUS ABBAS XIX.

Anno Domini 1165. creatus Abbas Gotswinus fuit, Antecessori suo zelo Religionis quàm simillimus: Templi enim nostri splendorem augere variis modis studuit; duo præcipuè altaria,  
alte-



alterum in D. Magdalenæ, in S. Agapiti Martyris honorem alterum excitando: Quæ altaria cæteraque zeli illius monumenta licet hodie destructa sint; optimi tamen Præfulis memoria nostris nunquam in animis oblitterabitur. Monasterium curæ suæ commissum habuit annis 14.; quibus elapsis piè in Domino obiit, anno 1179.

### TRAGOBERTUS ABBAS XX.

Magnam de se expectationem concitaverat Tragobertus, dum Monasterii nostri Abbas anno 1179. renunciatus est: & quidni à Viro præclaris queiscunque dotibus ornato optima quæque sperare jure potuimus? At ecce! non tam datus nobis Tragobertus, quàm ostensus fuisse visus est; anno quippe suscepti regiminis altero obiit.

### GOTTFRIDUS ABBAS XXI.

Secutus Tragobertum proximè fuit Gottfridus anno 1181., qui demandatam sibi gubernandi Monasterii provinciam annis duobus supra viginti laudabiliter administravit: decimam in  
Ost.